

Cantred Maur.
etiam fons est, ut scribit Giraldus, qui naturali die,
bis undis deficiens, & roties exuberans, marinæ imitatur
instabilitates.

Talcharn, Lhan-stephan, Taf. fl.
Ab Aquilone autem longe patet *Cantred-Maur*,
id est, *Centuria Magna*, tutissimum olim Britannis
perfugium, utpote quæ sylvis densa, confragosa,
& collum flexibus viæ implicataæ. Ad Austrum
Talcharn & Lhan-stephan castra marinæ scopulis in-
hærent, quæ bellicæ virtutis, cum in Anglis, tum
Britannis testes sunt locupletissimi. Sub *Talcharn*
in mare effunditur *Taf*, ad cuius ripas olim cele-
bris erat *Twi Gwinar Taf*, id est, *Domus alba ad Taf*
flumen, quod ex corylis albis pro æstivo domi-
cilio constructa fuit, ubi anno reparatæ Salutis
D C C C X I I I I, * Hoël cognomento *Bonus*, Wal-
liae princeps, frequentibus Comitiis (convene-
rant enim, præter alias, Ecclesiastici Ordinis
centum quadraginta) antiquatis majorum insti-
tutis, novas leges suo populo tulit, ut testatur
ipsarum legum procœnum. In quo postea loco
monasteriolum extructum, quod *VVhite Land* di-
xerunt. Vnde parum distat *Killmyn Lhoyd*, ubi
nuper rustici inciderunt in vas figulinum, quo la-
tuit magna vis Romanorum numismatum ex ar-
gento minus puro. A Comodi scilicet tempo-

*White land.*** Hælius.*

re, qui argentum primus Romanorum Impera-
torum adulteravit, usque ad V Tribunitiam po-
testatem Gordiani tertii, quæ coincidit cum an-
no Christi *C C X I I I*. Inter hæc fuerunt Helvii
Pertinacis, M. Opellii Antonini Diadumeniani,
Iulii Veri Maximi filii Maximini, Cælii Balbini,
Clodii Pupieni, Aquiliæ Severæ uxoris Elagabali,
& Sall. Barbiæ Orbianæ, quæ maximi pretii, uti-
que rarissima, inter Antiquarios. Superest jam, ut
memorem, ad *Try* flumen, qui hunc agrum à
Comitatu *Cardigan* disterminat, situm esse *Norw*
castrum, sic hodie vocant, quod Rhesus *Ap Thomas*
vir bellicosus, qui Henrico Septimo in re-
gno adipiscendo præsto adfuit, & ab eodem
merito in Georgiani Ordinis societatem adscri-
ptus renovavit, prius enim *Elmelin* dicebatur.
Quod nomen si Angli ab ulmis fecerint, non
aspernanda est eorum conjectura qui illud Di-
metarum *L O V E N T I V M*, cuius meminit *Pto- Loven-*
lemæus, volunt: ulmos enim *Lhiffen* vocant
Britanni. Quum vero qui Normannorum pri-
mi hanc regionem Wallorum Principibus ex-
torserunt ex historiis eruere non possem, ut ad
Penbrochienses nunc me conferam, ordo po-
stulat.

*Numi-
smata Ro-
mana.**New-
castle.**Loven-**tium.*

Paræcias habet 87.

